



# Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCII. Ehevertrag zwischen dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg und  
der Prinzessin Margarethe, Tochter des Königs Christof von Dänemark,  
vom 13ten Juli 1323.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

sio dampnorum et solutio debet fieri expensarum, illa fient effectualiter a die dampnorum perceptorum et expensarum factarum infra annum continue computandum, siue in equis, siue in captivis, vel in aliis quibuscunque constat dampna huiusmodi prouenisse. Si, quod absit, nos vel aliquem de nostris nobilibus in seruitio Domini nostri Regis vel ipsius Marchionis, vel ciuitatem aliquam seu munitionem nostram aut locum captiuari contingeret vel amitti, nullam prorsus compositionem inibunt Dominus Rex et Marchio sepedicti, nisi prius nos et nobiles nostri captiuati simus liberi, et ciuitatem, castra vel loca amissa rehabeamus cum effectum. Et in premissorum omnium testimonium et plenam roboris firmitatem sepe dictus Dominus noster Rex premissa in literis suis nobis datis conscribi et Sigillo Maiestatis sue Regie pro se ac ipso Marchione, sigillo carente ac se sub ipsius Domini Regis Sigillo obligante, fecit communi, pollicens in dictis suis literis, quod, quam primum dictus Marchio, primogenitus suus, Sigillum pro Marchionatu habuerit et eo vsus fuerit, sub eodem Sigillo premissa omnia ratificari et singula confirmari debeant. In euidentiam et memoriam plenam omnium prescriptorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Datum et actum apud Nurenberghe, Anno Domini M°. CCC°. vicesimo tertio, quarto nonas May.

DCII. Ehevertrag zwischen dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg und der Prinzessin Margarethe, Tochter des Königs Christof von Dänemark, vom 13ten Juli 1323.

Nos Christoforus, dei gratia Danorum Slauorumque Rex, Dux Estonie, notum facimus presentium inspectoribus vniuersis et recognoscimus publice per presentes, Quod nos omnes et singulos tractatus illos, per nobiles viros fredericum burggrauium de Nuremberg et burchardum comitem de mannisuel habitos, super matrimonio inter magnificum principem, dominum Ludouicum, marchionem brandenburgensem, primogenitum serenissimi domini Ludouici Romanorum Regis ex una, et Inclitam margaretham, filiam nostram karissimam, ex parte altera, legitime contrahendo, promptissime voluntatis animo feruentique desiderio ratos libenter habere volumus atque gratos, Nos ad omnium articulorum obseruantium specialiter expressorum in instrumento, super huiusmodi matrimonio copulando confecto, et spectabilis viri Johannis comitis holtzatie sigillo firmiter roborato, obligantes fideliter et presentibus literis asfringentes. Quas quidem literas in hujus euidens testimonium nostro sigillo iussimus roborari. Tenor autem memorati instrumenti per omnia de verbo ad verbum dignoscitur esse talis:

Omnibus presens scriptum intuentibus Christoforus, dei gratia Danorum Slauorumque rex, Dux estonie, salutem in domino sempiternam. Notum facimus uniuersis presentibus et futuris, quod inter senissimum principem dominum Ludouicum, regem Romanorum semper augustum, per nobiles dominos fridericum burggrauium de Nuremberg et burchardum comitem de Mannisuelde ex una parte, et nos, filium nostrum

dominum Erycum ex altera, super matrimonio inter magnificum principem dominum Ludouicum marchionem brandenburgensem, dicti domini Ludouici Regis Romanorum primogenitum, et domicellam margaretam, filiam nostram karissimam, legitime contrahendo, in modum, qui sequitur, extat placitatum, videlicet ut inter predictos principes dominos Ludouicum regem Romanorum, Ludouicum marchionem Brandenburgensem et ipsorum liberos ac inter nos et liberos nostros concordia firma, amicitia rata et inuolabilis roboretur et stabiliter perpetuis temporibus duratura, dicto domino Ludouico marchioni Brandenburgensi dictam filiam nostram margaretam dare debemus in uxorem legitime et matrimonialiter copulandam cum XII. milibus marcarum puri argenti infra diem et annum post sollempnitatem nuptiarum et carnalem ipsorum copulationem, tribus milibus marcarum argenti puri in fine secundi anni primo subsequenti, Residuis vero tribus milibus marcarum puri argenti in fine tertii anni duobus primis annis immediate subsequenti, per nos vel heredes nostros Lybek integraliter persoluendis, Conditionibus talibus prehabitis, quod si dictum Ludouicum marchionem brandenburgensem, sine prole cum jam dicta margareta, de hac vita decedere contigerit, dictus dominus Ludouicus Romanorum rex, pater domini Ludouici marchionis brandenburgensis vel ipsorum heredes, ut puta dicti Domini Romanorum regis et Ludouici marchionis Brandenburgensis, filii ejusdem, XXIV milia marcarum puri argenti dicte margarete filie nostre restituere debent et totaliter assignare in terminis infra scriptis, scilicet XII milia marcarum puri argenti infra diem et annum post mortem dicti Domini Ludouici Marchionis Brandenburgensis, sex milia marcarum argenti in fine secundi anni primo proxime subsequenti, Residua vero VI milia marcarum puri argenti in fine tertii anni, primis duobus annis immediate subsequenti, per sepedictum dominum Ludouicum regem Romanorum seu ipsorum heredes utique persoluenda. Pro quibus quidem viginti quatuor milibus marcarum puri argenti prenotatis supradicte margarete restituendis et assignandis totaliter, predicti principes, Dominus Ludouicus Romanorum rex et Ludouicus marchio brandenburgensis ejusdem filius, dicte margarete certitudinem firmam et cautionem sufficientem cum terris, castris, munitionibus, civitatibus villis et opidis et ipsorum redditibus vniuersis, hominibus, proprietatibus, dominiis, judiciis, possessionibus, iuribus et singulis eorum attinentiis, cum mero, mixto et integro imperio, facere debeant et adimplere cum effectu, ipsam etiam cautionem et certitudinem literis patentibus magnificorum principum Domini Ludouici Romanorum regis semper augusti, Ludouici marchionis brandenburgensis sui filii, adolfi filii fratris predicti domini Ludouici Romanorum regis, ducis bauarie, friderici marchionis misnensis iunioris, B. comitis de henninberg, friderici burgrauui de Nuremberg, et burchardi comitis de Mannisveld et ipsorum sigillorum appositione et eorundem fidei datione firmiter roborare. Homines equidem dictarum terrarum, munitionum, castrorum, civitatum, villarum et opidorum dicte margarete seu alicui vel aliquibus nomine ipsius margarete fidelitatis omagium facere teneantur. Preterea si dictum dominum Ludouicum marchionem Brandenburgensem post prolis procreationem cum dicta margareta mori acciderit, ipsis liberis viuentibus, dictus princeps Dominus Ludo-

uicus rex romanorum vel ipforum heredes prefate margarete duodecim milia marcarum puri argenti cum donatione propter nuptias dicta morgengaue restituere et refundere teneantur, Pro quibus XII milibus marcarum puri argenti et donatione propter nuptias ut premitmittitur dicte margarete filie nostre cum terris, munitionibus, ciuitatibus, castris, villis, opidis, ipforum redditibus, proprietatibus et possessionibus uniuersis, ut promissum est, firmam facere debeant cautionem. Residua vero XII milia marcarum puri argenti de viginti quatuor milibus marcarum puri argenti prenotatis liberis predictorum, Domini Ludouici marchionis Brandenburgensis et margarete filie nostre, cedere debeant in ipforum commodum et augmentum. Si etiam dicta margareta apud dictos liberos suos residere et moram facere elegerit, tunc prenotatus dominus Ludouicus rex Romanorum seu ipforum heredes dicte margarete de quolibet milenario puri argenti in certis redditibus, terrarum, munitionum, castrorum, ciuitatum, villarum, opidorum et ipforum singulis attinentiis centum marcas puri argenti pro ipsius usibus certitudinaliter assignare debeant annuatim. Si autem dicta margareta a suis liberis recedere decreuerit, dictus dominus Ludouicus rom. rex seu ipforum heredes prelibate margarete supradicte XII milia marcarum puri argenti assignare et donationem propter nuptias dictam morgengawe redimere teneantur. Si dictus dominus Ludouicus romanorum rex et ipforum heredes dicte margarete filie nostre antedicta XII milia marcarum argenti puri non soluerint et donationem propter nuptias non redemerint, de quolibet millenario puri argenti centum marcas puri argenti in certis redditibus terrarum, munitionum, castrorum, ciuitatum, villarum et opidorum cum ipforum attinentiis uniuersis singulis annis pro ipsius margarete usibus libere assignabunt, prestita, cautione et certitudine sufficienti, ut supra, cum terris, munitionibus, castris, ciuitatibus, villis, opidis, ipforum redditibus singulis, proprietatibus et possessionibus et predictorum principum omnium apertis literis, eorundem sigillorum appositione super omnibus firmiter roboratis, ne ab eadem margareta temporibus vite sue omnia supradicta, scilicet terre, munitiones, castra, ciuitates, ville, opida, seu quicquam de eorundem omnium attinentiis vel redditibus aliquo modo auferant, donec sibi de omnibus plenarie et integraliter fuerit satisfactum. Si vero deus ipsam margaretam, filiam nostram, ab hoc seculo vocare dignaretur, antequam ad annos discretionis peruenerit, dicti principes dominus Ludouicus rex Romanorum et Ludouicus marchio brandenburgensis, filius eiusdem, nobis Christofero et domino Eryco filio nostro regibus dacie XII milia marcarum puri argenti in terminis superius expressis, scilicet infra annum et diem a die mortis dicte margarete, filie nostre, sex milia marcarum in fine secundi anni, primo anno proxime subsequenti, ac residua sex milia in fine tertii anni, duobus primis annis immediate subsequenti, exsoluant totaliter et exponant. Si etiam post annos discretionis ipsam margaretam ab hoc seculo sine proles procreatione deus vocare voluerit, de predictis XII milibus marcarum secundum debitam juris tramitem stare debeat et manere. In cuius etc. etc. Datum Siöburch, anno domini M. CCC. vicesimo tertio, die beate margarethe virginis.

Nach dem Copialbuche des Geh. Rab. Archives I. Cod. 4. in quarto Bl. 43. Ungenau abgedruckt in Gercken's Cod. dipl. Brand. I, 217.